

1. quam gladioli speciem dicis, non potui dum recentem examinavi cum isto genere conjungere. *Cunonia* Büttneri est *Watsonia* Milleri, ut video ex ejus Dictionario Hortulanorum. Contuli meam figuram cum illius, penes ipsum Chelseæ. *Cunoniam* florentem in *Hollandia* non vidi, *Watsoniam* ignoravi, ita ut mea planta sit ea ipsa species *Cunoniæ* quod distinctum (ni fallor) est genus, quam *Watsoniam* heic vocant à *Pharmacopola* *Watson* F. R. S.

2. Figuram quidem habeo, sed non satis adcuratam ut publici juris fieri queat; jucundissimum mihi esset si ex seminibus *Upsaliæ* floreat, et totum Tibi relinquo, *Floristæ* van *Hazem* meruit nomen, si placet.

3. non est *Cyanella* *Royeni*, quam satis examinavi semper cum *V. stam.* et totus habitus differt a mea.

4. nil habeo quod moneam.

Quod ad statum *Hist. Nat.* in *Anglia* adtinet pauca sunt notatu digna, pro ratione famæ hujus regionis divitiarum etc. *Pontopidani* nostri liber, *Forsøg til Norges nat. hist.* in *anglicam* linguam conversus est. *Singularia* ille refert de *monstro* *Siœ* *Ormen*, *Microcosmo* etc. in parte 2da libri, testimonia fide historica ferè digna affert, ceterum suspendo judicium, placebit interim liber *Anglis*, licet translatio erit satis prava.

Vidi *Oxonium* jam *Mense* *octobri* ultimo famosam adeo *Musarum* sedem, et quid mirum *IX* virgines ibi habitare? cum nulla in orbe academia possideat splendidiora palatia, numerosiores bibliothecas, gallerias, *Musea* etc.

Prodibit intra annum *Hist. nat. Jamaicæ* autore *D^r Browne* qui, jam redux, ibi per 9 annos vixit, vir in *hist. nat.* peritus, meliora *Sloanio* multa præstabit, examinavit ibi imprimis plantas et credo illum fere centum nova habere genera et *L* correctæ ex loco natali, dabit hic vir egregius, qui systema sexuale sequitur, figuras omnium per exercitatissimum *D^m Ehret* qui botanicam adhuc amat et botanicus est, salutem Tibi dicit officiosissimam, fuit ante aliquot annos hortulanus *oxoniensis*, sed plus siccus *Professore*, debuit abire,